

1509 vio passuum millia duodecim, cædeque facta, milites ex iis centum, equites sexaginta, centurionemque ipsum qui castellum custodiebat, & præfectum equitum captivos fecerunt. Alfonsi frater vix ægreque fuga se hostibus eripuit. castelloque capto, magno frumenti numero, magno multarum rerum commeatu, tormentisque triginta cum jumentis curribusque sunt potiti: iisque Patavium adductis, frumentum omne, ut esset agrestibus hominibus inopiæ levamen, ibidem dereliquerunt. Joannes Græcus ab Julio dimissus vulnere levissimo accepto eam rem confecerat. Hippolytus Montanianum, ut eo in loco reliquum eventum rerum opperiretur, se contulit. Discessu in urbe Maximiliani cognito, ob agrestium in rempublicam fidem Senatus jussit, ut annum totum nemo ex iis qui deberet, a creditoribus ad solvendum cogi posset: agrestesque in urbe qui erant, triduo reverti domum jussi. Hostibus progressis animadversum est eos sub terra tabernacula habuisse, ut tormentorum ex oppido verberationes evitarent: cuniculosque per plures, ut occulte muro appropinquarent, effecisse. Tellus ipsa odore tetro infecta, sanguinem necemque redolens, cadaveraque omnibus in locis jacentia horridum spectaculum halitumque toto ab eo oppidi latere ac regione multos dies præbuerunt. Senatus ubi cognovit templum Cartusianum, cujus diruendi facultatem legati non habuerant, magno usui Maximiliano fuisse, firmæque ei munitionis & castelli instar præbuisse, arborumque magnam vim sæpe hostes reipublicæ militibus occultavisse, sæpe a tormentorum ictibus defendisse, legem scivit, ut a portis mœnibusque mille & quingentos circa Patavium passus quoquo versus ædificia omnia eorum domini solo æquarent, arboresque cujusque generis succiderent; lateres, tegulas, marmora, ferramenta, materiam aridam viridemque, quo vellent, asportarent: qui id intra dies præstitutos non fecisset, illius ejusmodi fisco omnia cessura. maxime enim voluit, ea ut planities spatiumque ab omni re, quæ umbram faceret, essetque solida ac resistens, nudum vacuumque permaneret: ne Patavium